



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Evsebii Nierembergii Madritensis Ex Societate
Iesv De Adoratione In Spiritu Et Veritate Libri Quatuor**

Nieremberg, Juan Eusebio

Antverpiæ, 1631

Nobil[issi]mo Et Amplis[si]mo Domino Ioanni Lvdivico De Laloo Regiæ
Catholicæ Maiestati A Consiliis Illustrissimi Ordinis Avrei Velleris
Cancellario Toparchæ in Schellebrovck &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46187)

NOBIL^{MO} ET AMPLIS^{MO}
DOMINO
IOANNI LVDOVICO
DE LALOO
REGIÆ CATHOLICÆ
MAIESTATI A CONSILIIIS
ILLVSTRISSIMI ORDINIS
AVREI VELLERIS
ANCELLARIO
TOPARCHÆ IN SCHELLEBROVCK &c.

INTER alias litterarum
curas, AMPLISSIME DO-
MINE, quibus obedien-
tiâ maiorum annis præ-
teritis ferè possessus eram, ex quie-
te & aliis naturæ pensis mihi sub-
trahebam, vt propriæ etiam con-
scien-

scientiæ vacarem; nec me componerem tantum ad ea quæ docerem, sed potius ad ea quæ mihi agenda, & quæ sternerent viam ad vitam beatam. Non enim oportet seipsum negligere, cum nihil profit vniuersi emolumentum cum minimâ sui iacturâ; maxima autem foret vel minimum pati detrimentum animæ & spiritus. Illud autem non qualicumque curâ reparari sat est, sed diligentissimam oportet adhibere. Quamobrem vt in promptu, & familiarissimas, ac veluti ad manus veritates Fidei haberem, quibus meditatione & lectione me imbuere & præmunire possem, eas mihi collegi. Non iudicaui hanc curam posthabendam, & in
id

id tempus seruandam, cùm nihil exercere possem; veritus ne mihi accideret, quod iis qui in decliu-
ætate domum ædificant, qui eâ non fruuntur, aliis tantùm non sibi prouidentes. Maturiùs componere mea opus duxi, vt aliquamdiu frui & vti (Deus aspiret hoc votum) virtute aliquâ & religione possem; vel saltem causam Dei aduersus me agerem, cùm ea duxerim & dixerim facienda, quæ non fecerim. Certè decipi non volui, sed perspectâ veritate eam sectari: sin minùs, iustificarem magis Dei iudicium cum pudore conscientiaë meæ. Ceterùm hoc memoriale conscripsi sine fūco, & cum negligentia sermonis; cùm verbum diuinum validius sit

nudum , quàm armatum verbis
humanis ; augustius cum sinceritate
prolatum , quàm purpurâ
Rhetorum vestitum , & fucis ad-
umbratum. Idem curavi in hoc
Opusculo , quod feruidus Episco-
pus Saluianus in Epistolâ ad Sa-
lonium inquit : *Nos autem , qui
rerum magis quàm verborum ama-
tores sumus , utilia potius quàm plau-
sibilia sectamur. Neque id quæri-
mus , ut in nobis inania sæculorum
ornamenta , sed ut salubria rerum
emolumenta laudentur. In his scri-
ptiunculis nostris non lenocinia esse
voluimus , sed remedia.* Hoc fuit
in causâ , cur non castigauerim
hunc stilum , quem non censeo
vniformem debere esse ; sed ma-
teriæ , & iis quibus sermo desti-
natur,

natur, attemperandum. Materia
sancta & sincera, sine tumore &
lenocinij pigmento tractanda: &
cùm mihi præparauerim, non
multâ exornatione opus. Cogno-
uere aliqui postea à me factum
hoc vitæ spiritualis compendium,
à quibus compulsus fui exhibere
ad omnium vsum. Verùm cùm
edendum esset, ne paralyticæ (vt
Alcuinus loquitur) essent sanctif-
simæ istæ cogitationes ac senten-
tiæ Patrum, & quasi truncæ &
inefficaces è meo ore; volui illi
patronum adoptare, sub cuius au-
spiciis in medium veniret. Exem-
plarem vitam VESTRAE DOMI-
NATIONIS exigebat hic Libellus,
hac solâ auctoritatem & effica-
ciam impetrabit: atque Lector

normam aliquam intuebitur pietatis, castimoniam, misericordiam, religionis, modestiam, & ceterarum virtutum; in quarum enarratione non demorabor, ne offendam ingenitam modestiam VESTRAE DOMINATIONIS. Satis ad amplitudinem laudis decorasse nobilitatem Maiorum, & illustrasse vitae propriae luce perlustres. Causam meam ago, dum Opus istud VESTRAE DOMINATIONI dico. Nolo me exonerare iis quae in me assiduam beneficentiam contulit: nolo hoc obsequio expungere aliquod beneficium; nouum potius ambio. Plurimum debeo VESTRAE DOMINATIONI: nec suppetit quid referam, nisi tam libenter debere, ut id quaeram;

ram ; certè cum debito charitatis,
quod (iuxta Apostolum) num-
quam excidat, & in æternum ma-
neat. Madriti , Kalend. Martij,
anno M. DC. XXX.

Obsequentissimus D.V.

Ioannes Eusebius Nierembergius.



* 5

PAR-